



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 51. Qualis sit obligatio restituendi res per parva furta sublata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

241 §. 3. Si prius possedisti malâ fide , sed nihil consumpsisti , nisi postquam supervenerat bona fides , non teneris restituere , nisi ex re accepta , quantum factus es ditior , ob rationem jam datam ; quod *Lugo* confirmat hoc exemplo , nam si post tempus malæ fidei voluisses domino reddere rem suam , qui tamen dixisset , ut retineres , donec reposceret , si res hoc postremo tempore absque tua culpa periisset , causa hujus damni non esset tua prior injuria , sed hæc justa retentio , ergo idem est in nostro casu.

242 Q. 51. Qualis sit obligatio restituendi res per parva furta sublatas. R. §. 1. Rem quantumcumque levem ablatam teneris sub veniali restituere ; hinc si nulla causa rationabilis te excuset , non potes ab eo peccato absolvi , nisi restituas , secundum illud *S. August.* Non dimittitur peccatum , nisi restituatur ablatum , ita omnes & speciatim citati n. 191. cum *Tamb.* l. 8. t. 3. c. 2. §. 5. n. 2. Ratio est , quia talis nolens restituere vult continuare illud leve furtum , volens autem continuare , de illo non dolet , ergo nec potest ab eo absolvi : potest tamen facile esse justa causa excusans à restitutione , & sæpe potest præsumi consensus domini. Notat autem rectè *Less.* l. 2. c. 12. n. 50. semper expedire , ut *Confessarius* , etiam pro pœnitentia , injungat restitutionem rei illius levis ablatæ , aut ut tantundem det pauperibus , ne ex suo peccato reportet commodum , utque magis absterreatur , alioquin homines fiunt ad hujusmodi furtula faciliores & ad majora gradum faciunt : an autem restitutio rei levis possit præcipi sub excommunicatione , videri potest *Dicast.* de Restit. d. 9. à n. 34.

§. 2. Non est obligatio gravis restituendi ma- 243  
teriam tantum levem sublatam cum intentione  
mortaliter mala, uti dictum est n. 190.

§. 3. Multi docuerunt, si quis etiam adver- 244  
tenter compleat magnam quantitatem per furta  
venialia ablatam, non fore mortale, sed opposi-  
tum constat ex dictis p. 1. n. 1005. Quod si illa  
quantitas gravis per parvas partes & venialia  
tantum peccata sublata sit, non esse sub mortali  
restituendam tenuerunt plures apud *Moyam* t.  
6. d. 4. q. 4. n. 4., sed dicendum est absolute esse  
obligationem gravem restituendi illa, quæ ali-  
quis per parva furta sustulit, si simul sumpta faci-  
ant materiam gravem, ita *Suar. Azor, Valent.*  
*Rebell. Sanch.* l. 1. c. 4. n. 10. *Lugo* d. 8. à n. 68.  
*Haun.* t. 2. n. 198. *Tambur.* l. 8. t. 3. c. 2. §. 5. n. 6.  
*Esp.* q. 32. *Moya*, n. 5., dicens oppositum nulla-  
tenus esse sustinendum, *Carden.* in 2. crisi d. 23.  
n. 90. alique communissime: *Probat*ur, quia  
*Inn. XI* damnavit hanc 38. prop., *Non tenetur*  
*quis sub pena peccati mortalis restituere, quod ablatum*  
*est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa*  
*totalis: ubi per Tò pauca, AA intelligunt parva,*  
uti notat *Pollenter* ad hanc propositionem. Ratio  
autem est, quia alioqui is, qui singulis diebus to-  
tius anni furatus est Titio solidum, in fine non  
reneretur sub mortali restituere summam 365  
solidorum, consequens autem est falsum, quia  
materiarum illorum parvorum furtorum coalescunt  
in unum damnatum grave Titii, ad similem mo-  
dum, quo omni die imponens parvum pondus  
in lancem libræ, tandem hæc parva pondera  
coalescunt in ordine ad faciendum pondus gra-

ve, ergo est obligatio gravis reparandi illud damnum: quod verum est, siue damnificatus sit unus homo siue sit communitas, una aut plures, cum hoc tamen discrimine, quòd ad damnum grave respectu communitatis plùs requiratur, secundùm dicta p. 1. n. 1012 & 1013. Vide dicenda hìc n. 417.

245 §. 4. *Oviedo* de pec. contr. 3. p. 7. n. 102. putat tum tantùm coalescere materias illas, si in se vel in æquivalente existant apud furem, non autem si fur consumpserit & non sit inde factus ditior, nec si purè damnificarit: hanc sententiam tenet etiam *Diana* p. 1. t. 6. R. 34., videturque approbare *Pertsch.* p. 172. multis eandem firmans: sed contrà est, nam ex prima læsione levi nascitur obligatio reparandi illud leve damnum, similis obligatio nascitur ex secunda læsione ad reparandum aliud leve damnum, item ex tertia, quarta & sequentibus, ex hoc enim, quòd accedant plures læsiones, non minuitur sed potiùs augetur prior obligatio, ergo ex omnibus illis parvis læsionibus nunc actu positis nascitur obligatio reparandi totum damnum grave, ergo si non reparetur, peccatur mortaliter, quia continuatur damnificatio gravis. *Conf.* ex *Sanch.* n. 16. nam si singulis diebus anni à me acceperis unum solidum mutuum, in fine anni illæ singulæ acceptiones, quamvis de se leves, coalescunt ratione materialium, & causant in te obligationem gravem reddendi totam summam illorum solidorum, etiam si ex his non esses factus ditior, est autem simile in nostro casu, ergo.

§. 5. *Objiciunt* 1. Ex culpa veniali nascitur 246  
obligatio tantum levis ad partem levem, uti dictum est n. 185., sed hic est culpa tantum venialis, ergo. *Respondent* 1. Lugo n. 69. *Haun.* n. 208. alique, hanc obligationem gravem non oriri præcisè ex culpa, sed esse veluti pœnam conventionalem, quam fur sibi imponit per singula furta, quasi promittens sapius restituere, si sæpius furetur: sed hoc meritò rejiciunt *Tamb.* n. 7. & *Petsch.* p. 171., nam in primis furans potest absolute nolle restituere quicquam, quantumcumque furetur, ergo gratis dicitur consentire in tale pactum: *Si dicas*, in casu, quo nollit, per legem Dei obligari: *contrà* est, ergo ex lege tantum positiva tenetur, quod nemo dicet: deinde si ex multis levibus obligationibus ex quasi conventionione possit constari una gravis obligatio ad restituendum totum damnum, etiam poterit constari ex multis levibus obligationibus provenientibus ex multis culpis venialibus. *Respondet* 2. *Tambur.* furem, si statim restituat, quando advertit fieri materiam gravem, prævenire peccatum, si autem non restituat, incipere injustè detinere, & ex hac detentione obligari: *contrà* est, si graviter peccat detinendo, ergo antecedenter erat obligatio gravis illud restituendi: quæro unde? Itaque *R.* 3. dist. maj., ex culpa veniali nascitur obligatio tantum levis ad rem levem, si hæc culpa sit unica, vel non tot, ut his causatum sit damnum grave, c, si sint multæ, quibus causatum sit damnum grave, n. maj.; disparitas est, quòd quando per unicam actionem venialem causatum est damnum etiam grave, damnum totum non est voluntarium; è *contrà* si per plu-

res actiones causetur damnum grave, singulae habent rationem pleni voluntarii respectu partis suae, & haec partes simul sumptae conflant materiam gravem, ergo totum damnum est plene voluntarium, ergo merito ex illis culpis obligatur ad totum damnum reparandum, sic tamen, ut haec obligatio gravis restituendi totum non fundetur in gravitate injuriae formaliter sumptae, sed in gravitate materiae debitae propter leves injurias formaliter sumptas.

*Instab.* Multa venialia nunquam faciunt unum mortale, ergo multae obligationes leves nunquam faciunt unam gravem. R. Multa venialia nunquam faciunt formaliter unum mortale, c, nunquam faciunt objective, n. antec., & simili modo c. vel n. conseq., quamvis enim venialia & obligationes leves nunquam ita uniantur inter se, ut in se fiant mortale vel obligatio gravis, potest tamen ex multis venialibus & ex multis obligationibus levibus consurgere tanta materia, ut sit objectum peccati mortalis & obligationis gravis.

*Instab. 2.* Si Titius unâ vice abstulerit aureum, Caius autem per multas vices tantum veniales, & neuter sit inde factus ditior, recta ratio dicit, quod Caius non debeat ita graviter obligari ad restituendum totum, sicuti Titius, ergo cum Titius obligetur sub mortali, Caius tantum sub veniali obligabitur. R. Recta ratio dicit, quod Caius non debeat ita graviter obligari, ex vi injuriae formalis praecise, c, ex vi gravis materiae per injurias formales ablatæ, n. ant. & conseq.

*Instab. 3.* Qui minus peccavit, non meretur tantam poenam, sed Caius minus peccavit, & haec resti-

restitutio est veluti pœna, ergo. R. Qui minùs peccavit, non meretur tantam pœnam, præcisè respondentem culpæ, c, respondentem damno per formales culpas causato, n, cùm enim uterque fecerit æquale damnum per formales culpas, damnum autem per singulas culpas factum compensari debeat per singulas restitutiones, utriusque resultat pœna totius damni reparandi.

*Obj. 2.* Si sit obligatio gravis reparandi damnum grave per parva furta causatum, ergo si plures sint aliquid parvum furati Titio, non quidem communi consilio, attamen advertentes inde resultare Titio grave damnum, v. g. si mille homines acceperint singuli unam uvam ex vinea, singuli tenebuntur restituere sub mortali. R. seq. concedunt *Covarr. Med. P. Nav. Sayr. Suar. Vasq.* alique cum *Mol. T. 3. d. 689. & Bonac. de restit. d. 2. q. 8. p. 9. n. 6.* sed probabiliter negant ex justitia teneri *Sanch. Less. Esp. supra, Lugo d. 16. à n. 55. Dicast. l. 2. t. 2. d. 9. n. 82. Oviedo n. 111. Petsch. p. 168. Tann. Diana & Sporer t. 5. c. 5. n. 47.*, quia iniusta acceptio singulorum est tantùm venialis, uti dictum est p. 1. n. 1010. & partes reliquæ à singulis acceptæ non sunt singulis imputabiles. *Dixi, ex justitia, nam Laym. l. 3. t. 3. p. 1. c. 1. n. 3. & alii cum Sporer n. 45.* dicunt teneri ex charitate sub mortali compensare pro sua parte, si exemplo suo alios moverit ad furtum, & spes probabilis sit alios etiam compensaturos, si ipse compenset, sed *AA: p. 1. n. 1009. relati*, qui dicunt talem exemplo suo moventem peccare mortaliter contra justitiam, dicere debent consequenter etiam ex justitia teneri sub mortali suam partem restituere, si aliàs

reliqui non essent compensaturi : Itaque tum aliquis sub mortali tenebitur tantum ex charitate, si movit alios, attamen credat futurum, ut restituant, si ipse prior aut simul restituat leve illud, quod abstulit, tum enim sine gravi incommodo potest & tenetur avertere grave damnum, quod proximus haberet ex carentia restitutionis, quam facere tenetur.

*Instab.* Ergo poterit grave damnum causari alicui, ad quod tamen reparandum nemo ex iustitia sub mortali teneatur. R. C. seq. cum *Less. Salas, Dicast. n. 80. Ovied. n. 118.*, cum enim totum damnum non fit datum nisi per injurias veniales diversorum hominum independenter ab invicem operantium, satis est singulos sub obligatione levi teneri restituere partem suam, cui obligationi si satisfaciant, alter recipiet totum. Videri possunt plura circa hanc materiam apud *Oviedo à n. 110. & Haun. à n. 197.*

248 Q. 52. *An sit obligatio restituendi totam materiam gravem, quam quis abstulit. R. §. 1.* Esse, nam n. 242. diximus esse veniale nolle restituere quamcumque partem levem furto ablatam. Unum objici potest, nam supponendo, quod 4. solidi sint materia gravis respectu pauperis, non autem respectu divitis, si pauper abstulerit diviti 4. solidos, eosque amiserit, pauper tenebitur hos 4. solidos restituere diviti, hoc autem videtur inconveniens, nam pauper subiret damnum grave, cum tamen dives passus sit tantum leve damnum, iustitia autem non obligat, ut inferens damnum leve, subeat damnum grave. R. 1. Si argumentum valet, ergo pauper nunquam tenetur restituere diviti totum, quod abstulit etiam  
cum